

guus pro copia agri. Dari potuere tricena iugera in pedites, sexagena in equites. Apustio auctore tertia pars agri dempta est, quo postea, si vellent, novos colonos adscribere possent; vicena iugera pedites, quadragena equites acceperunt. Nomen quod oppido indiderunt Copiam testantur Strabo (6, 1, 13 p. 263: οἱ δὲ — Romani — πέμψαντες συνοίκους ὀλιγανδροῦσι μετωνόμασαν Κωπιὰς τὴν πόλιν, inde Stephanus s. v.) et nummi inscripti COPIA (vol. 1 n. 511). Posteriore autem tempore Copia vocabulum fere exolevit; nam in titulo quidem n. 125 dicuntur C(opia) Thur(i), apud auctores autem Varronem (r. r. 1, 7, 6: Sybari qui nunc Thurii dicuntur), Ciceronem (ad Att. 3, 5, 9, 19, 3; pro Tull. 14), Caesarem reliquosque ad unum omnes tantummodo Thurii. Ad Latinam rem publicam spectare videtur titulus n. 123 basilicae eius coloniae factae a censoribus, nempe populi non Romani, sed Copiensis. Praeterea aedilis eius rei publicae extat nummus quadrans inscriptus L·L·AID (sic cat. mus. Londin. p. 303 et Garrucci syllog. p. 84, quae lectio firmatur etiam nostri musei nummo; nos vol. 1 n. 511 errore dedimus C·L·AID); idem redit in sextante (Fiorelli cat. musei Neapol. n. 2898). In aliis nummis quae leguntur inscripta M·C·M·C·L·Q in asse (Fiorelli cat. mus. Neap. n. 2894), L·L·L in asse (Avellinius apud Carellium p. 93 n. 149), L·C·Q in semisse (cat. Lond. l. c.) et triente (Garrucci l. c.), C·L·Q in asse (mus. Berol.), semisse (mus. Berol.), triente (cat. Lond. l. c.), Q·L·C in triente sextanteque (Garrucci l. c.), cum

123 [= 69] ibidem [praecedit: 'in Valgrati' — id est in valle Crathidis — 'in Sancto Mauro oppido diruto apud Corlianum'; cf. Giustini 4, 129] in Sancta Maria Iosepha in turre FIL. Supra quodam templo sexto circiter lapide a Coriolano [Corigliano] oppido in campo Phil. Iacobi Sallutii in quo Sybaris extitit GVALT.

P · MAGIVS · P · F · IVNC  
 Q · MINVICIVS · L · F  
 BASILICAM · FAC  
 CVR · DE · SEN · SENT

Duo exempla extant libri Filonardiani f. 108' et Gualteri n. 314 = 392 (inde male Fabrett. 241, 650 ex Gualtero, 709, 301 e sched. Barb.).  
 1 IVNC om. Gualt.

easdem fere litteras singulares habeant ordine diverso, nomina propria magistratum vix significant, sed adhuc probabiliter explicari non poterunt. — Civitatem Romanam cum reliqua Italia Thurini adsecuti sint necesse est bello Italico; post quod municipii locum obtinuerunt (Caesar b. c. 3, 22) recti a IIIviris teste titulo n. 125 III(viri) i(ure) d(icundo) C(opia) Thur(i)s. Mentio eorum passim fit in rerum enarratione; nam ad Thurios pugnatum est bello Spartaci a C. Octavio patre Augusti (Appian. b. c. 1, 117; Flor. 2, 8; Sueton. Aug. 3, 7) et ibi periit a. 706 praetor M. Caelius (Caesar b. c. 3, 22; Vellei. 2, 68; Hieronymus a. Abr. 1963) et bello civili eos Sex. Pompeius obsedit (Appian. b. c. 5, 56, 58). — Sybaris cum sita fuerit inter amnes duos Crathin et Sybarin, Thurii non eodem loco, sed vicino steterunt (Strabo l. c. p. 263), quem puto eum ipsum fuisse, unde tituli illi prodierunt, nempe ad S. Mauri a meridie Crathidis fluvii sexto fere lapide a Corigliano. Navale Thuriorum Ruscia commemoratum a Procopio (bell. Goth. 3, 28, 29, 30) oppidum est hodie dictum Rossano<sup>1)</sup>. — Addidi paucissimis qui supersunt titulis Thuriensibus repertum in oppido Altomonte, quo pervenisse vastum eorum territorium probabile est. Mansio Peutingeranae Interamnium (v. supra p. 2) ibi prope fuerit necesse est.

1) Cosam agri Thurini nallam fuisse vol. IX p. 88 demonstravi, ubi de Compsa egi. Solent tamen Cassano oppidum pro Cosa illa habere.

124 in marmore mutilato in Valgrati in S. Mauro oppido diruto apud Corlianum [= Corigliano].

..... VICIAE .....  
 L · TITIVS .....

Filonardianus liber f. 108'.

125 in Calabria in terra Altimontis in domo Iohannelli Palumbi marmor quadratum inventum in loco qui dicitur Pontalio.

C · MARIO · P · F · AEM · RVFO  
 III · I · D · C · THVR · ANN · XXI  
 P · MARIVS · P · F · RVFVS  
 FECIT · FILIO · ET · SIBI  
 5 ET · M · DOSSENNIO · M · F · VLSIANO  
 FRATRI · II · VIR · I · D · BLANDAE · IVLIAE  
 ET · CINCIAE · C · F · RVFAE  
 MATRI · EORVM

Filonardianus liber f. 95.  
 Versus continuantur. —  
 2 C·TH·VR traditur. —  
 6 IVLIA traditur.